



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

De reo imponente sibi falsum crimen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

occurret, ut si idem infamem familiam, providere etiam illi damno poterit, se statim retractando, ac publice fatendo, se tormentorum vi sibi crimen imposuisse. Verum debet esse spes, ejusmodi retractationem profuturam, qua regulariter non adest: nunquam enim illi retractanti creditur à Iudicibus. Hæc noster Author.

Notanda sunt illa verba (ut in imponente sibi falsum absit perjurium) cui tamen adhibet remedium, dūcum ab æquocatione; hanc enim adhiberi posse cum causa, supponit ex multis Doctoribus, &c. Etiam illa (ut sit sine damno Tertii) & quamvis hic adhibeat etiam remedium ex retractatione, concludit, huius retractationi regulariter fidem non haberi. Cum igitur, ut vides, lector, tot cautiones Tamburinus adhibeat, potes non succensere Baronio, qui duobus tam diminutis ejus doctrinam evulgat: quique (quod nimis sæpe conquestus sum) supponere videtur, esse hanc solius Tamburini & Audiamus Joannem Sanchez alios citantem.

6. Joan. Sanch. Hinc ad vitanda gravia (ait disp. 47. num. 16.) tormenta, excusabitur quispiam etiam à veniali labe, falsum sibi imponendo, licet ob illius confessionem esset morte plectendus, quia vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur æquocatione in mente retenta, scilicet crimen commississe non re, sed solum ut fateatur Iudici ad vitanda tormenta. Hanc docet Testis, licet solum à mortali excuset; at par ratio currit ad excusandum etiam à veniali, & non esse mortale docet Navar. Angelus, dicens licite fieri, ex quo excusatur etiam à veniali, Sylvest. Toler. Sotus, Vega, Sà, Coriolanus, Ant. Ragucius, & est multorum Recentiorum. Favet enim hæc opinio multis miseris, qui alioqui non solum corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsa metu tormentorum, &c. Et paulò post: Quod etiam verum iudico, licet falsam sibi impositionem juret, &c.

CAPVT XVII.

De eodem Reo imponente falsum crimen testi iniquo.

1. BARON. XVI. Potest Reus falsum crimen imponere in testem iniquum, idque citra omnem iniustitiam: imò citra culpam mortalem, & forte venialem.

Quod Tamburinus cum Bannez, Ledesma, Jo. Delugo, Dicastillo docet, id non esse peccatum contra iustitiam, verum est; at, quod sit sine culpa, hoc profecto non nimis audeat, & falso dictum. Ecce Tamburini germanam doctrinam.

2. TAMB. Hæc passim in ore sunt omnium, (ait lib. 9. in Decalog. c. 2. §. 2. à num. 4.) illud singulare est, & difficile, an si alio modo te ab iniusto teste tueri nequeas, licite falsa crimina possis illi obijcere, quanta sufficiant ad tuam iustam defensionem: Duo assero, unum mihi satis probabile, alterum satis incertum.

Probabile mihi est, te, si id facias, nec peccare contra iustitiam, unde nec obligari ad restitutionem. Ita Bannez Ledesma, Joan de la Cruz allati à Delugo tom. 2. de Just. d. 40. sect. 2. num. 26. Dicastillo latè

contra quendam innominatum lib. 2. de Just. tr. 2. d. 12. p. 4. dub. 2. num. 404. & apud Dianam p. 9. tract. 8. resol. 43. Ratio est, quia sicuti, ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendaciis, & fratribus curares, ut ille, v. g. in foream, caderet, mendax quidem esses, sed non iniustus, cum (quoad iustitiam) habeas ius te defendendi omnibus viis. Ita in casu nostro, &c. Ratio à priori est, quia defensio vite contra iniuste aggre- dientem aufert à quacumque tue actione ad defensionem necessaria, omnem rationem iniustitiae.

Incertum mihi est, an id possit fieri licite sine ulla culpa? & quidem Delugo ibid. sect. 2. num. 25. sic habet. Certum est, non licere, quia ad minus erit mendacium, quod nunquam licet (& post quatuor interjectas lineas) Hoc falsum, ait, crimen testis erit probandum per testes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens eos ad hoc horrari, erit peccatum mortale. Hæc ille, qui explicat Joannem de la Cruz, Bannez, Orel. Ledesma. apud Dianam mox citandum, quos in contrarium citat idem Diana p. 3. tract. 5. rel. 4. aitque, eos docere, non esse mortale ex parte iniustitiae, non verò, non esse mortale, ex parte perjurii.

4. Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpam refunditur in mendacium, & perjurium, sequitur, si solum esset mendacium sine iuramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolutè de malo gravi contra proximum, tamen cum iuste à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expresse concedunt Hurtad. & Bannez apud Dianam p. 9. tract. 8. rel. 43.

Secundo, etiam accedente iuramento, posset adhiberi æquivocatio, cum à me, tum ab eis, quibus certa est mea innocentia, & sic vitari perjurium, & mendacium, quo solo posito, negant communiter Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrina contrarii. Iuramento autem æquivoco etiam in iudicio, si id illegitimum sit, me licite posse uti, docet Castropalaus cum aliis, tom. 3. d. 1. de Iuramento, p. 7. num. 1. ergo etiam in iudicio, ubi iniustus est testis. Videbitur igitur alicui posse vitari mortale ab eo, qui, in prædicto casu falso, vel illegitimo testi falsa crimina impingit.

5. Adhuc tamen incertum id esse, pronuntio, ut quid enim? Si Sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum: Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio, sed adhuc hæreo. Quid enim, si sit necesse publicas scripturas ementiri, posse per Notarium publicum ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis. Id enim non est infidelem esse Reip. sed maxime Fidelem, dum ejusdem Reip. sic innocentes defenduntur. Verum, si aperiat huiusmodi ostium, quomodo stabunt publica Iudicia? Inventantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt Tribunalia. Dum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica Iudicia firmantur potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio: Quia tamen adhuc durum audio, libenter nodum hinc in aliud tempus evolvendum referro. An Reo liceat crimen sibi imponere ad vitanda tormenta, dicam inferius, c. 3. §. 6. Hactenus ille.

6. Quæ jam lecta sunt, manifestè te convincunt de falsitate Baronii; nam Tamburino videtur difficilis determinatio. Tamburinus hæret ad argumenta: Tamburinus in aliud tempus resolutionem differt, & tu tamen dicis, illius esse doctrinam, id fieri citra culpam posse? Quæ est ista licentia fingendi? Olim didici à Poeta Lyrico illud toties decantatum Pictoribus, atque Poetis, quilibet addendi semper fuit aqua potestas. Nunc discio, etiam Theologum, etiam